



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Compendiosa Praxis Beneficiaria**

**Nicolarts, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1658**

Dvbivm VI. An sub Concordatorum alternativa comprehendantur beneficia  
Curata?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61991)

## DVBIVM VI.

An sub Concordatorum alternativa comprehendantur beneficia Curata?

9. I. **R**espondeo indubitatum esse, quin beneficia curata comprehendantur sub alternativa Concordatorum Germaniæ, ex verbis generalibus, *De cæteris verò dignitatibus & beneficiis quibuscumque secularibus & Regularibus &c.* Id enim importat vis & potestas universalis huius dictionis *Quibuscumque*, ut omnia omninò beneficia completatur, etiam præter expressa, & ad quæ aliàs nō extenderetur c. *solitæ. 6. §. nobis autē. de maior. & obed. Paulus Paris. vol. 1. consil. 92. nū. 7. VVames. in consil. canon. tom. 1. consil. 255. num. 19. Francisc. leo in thesau. fori Eccles. part. 1. cap. 15. num. 60. Gonzalez ad reg. 8. gloss. 8. num. 61. Chokier in comment. ad reg. 19. aliàs 20. de non impetr. benef. per obit. vivent. num. 11. Rota decis. 680. num. 5. part. 2. recent. & apud Seraphin. decis. 980. num. 8. apud Gregor. XV. decis. 267. num. 5. & in addit. num. 12. nec non apud Duran. decis. 233. num. 12. part. 3. non secus, ac dictio omnia c. si Romanorum. vers. dicendo verò omnia. dist. 19. Paul. Paris. loc. cit. num. 6. Gonzalez ad reg. 8. gloss. 6. num. 20. Barbosa de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 101. num. 39. Et qui omnia dicit, nihil excipit, l. restatorem. 68. in princip. ibi pr adium Seianum omne. ff. de leg. 3. latè Gonzalez loc. proxime cit. num. 21. & seq. ubi dicit, quod licet Regulæ olim VIII. nunc autem IX. Cancellariæ Apostolicæ non forent addita ista verba *cum cura & sine cura*, equidem ex sola universali dictione omnia beneficia Ecclesiastica comprehenderentur curata; quod & confirmat Garcias de benef. part. 5. cap. 2. §. 11. num. 508. ideoq; tantum adiecta esse maioris claritatis gratiâ, ut proinde nil certius sit, quàm beneficia curata sub Concordatis Germaniæ cadere, Layman Theol. moral. lib. 4.*

Beneficia  
curata ca-  
dunt sub  
Concordati-  
onibus Ger-  
maniæ.

*trac. 2. cap. 10. num. 3. Zypæus in analyt. iur. Pontif. nov. lib. 1. tit. de elect. num. 15. Rota apud Cavaler. decis. 572. num. 1.*

Requisita  
ad benefici-  
um cura-  
rum.

§. 2. Vt beneficium porrò dicatur curatum, seu Ecclesia Parochialis, inter alia substantialia concurrere debent infra-scripta. Primò requiritur potestas ligandi & solvendi in foro pœnitentiæ, quæ non cadit nisi in sacerdotem, *c. in novo. dist. 21. c. omnis 12. de pœnit. & remiss. idq; ex necessitate ratione oneris ipsi imposita. gloss. in Clem. dudum. 2. verb. impendant. de sepultur. & ibi DD. Gonzalez ad reg. 8. gloss. 6. num. 35. Chokier ad eandem reg. gloss. 2. n. 1. Secundò, ut sit certa parochia, & locus certis finibus & limitibus constitutus ac designatus, in quo populus alicui Ecclesiæ deputatus degit, *c. Ecclesias. 13. q. 1. in princ. Concil. Trident. sess. 24. de reform. cap. 13. sub fin. ubi Parochiales Ecclesiæ certos non habent fines &c.* Nam talis Ecclesiæ Rector dicitur populum regere *c. 1. de capell. monach. cum alioqui Archidiaconi, Abbates, & similes habeant curam animarum, & non dicantur curati, Anast. Germon. de indult. Card. §. ac beneficia. num. 43. & seq. Chokier ad preces primar. sect. 2. vers. cum cura.* Tertiò requiritur, ut Rector Ecclesiæ curatæ exerceat curam nomine suo, non alieno *c. extirpanda 30. §. qui verò. de præben. Rebuff in praxi tit. de non promot. inf. annum. num. 36. Gonzalez dicta gloss. 6. num. 40. nisi sit principalis dignitas in Collegiata Chokier ad reg. 8. gloss. 2. num. 1. Quartò, ut Solus suo nomine regat, non cum adiuncto, vel duobus, aut pluribus aliis: quia ut unum corpus duo capita habere non potest, nisi sit monstrum, ita nec Ecclesia duos, vel plures curatos, *c. cum non ignores. 15. de præben. c. in apibus 7. q. 1. c. sicut in unaquaque. 21. q. 2. Mascardus de probat. conclus. 469. incip. curam animarum. num. 5. & seq. Gonzalez & Chokier loco cit.***

Quibus  
rebus defi-  
cientibus,  
non desinit  
beneficium  
esse cura-  
rum.

§. 3. Ex quibus infertur primò, quod etiamsi deficeret fons baptismalis, non propterea desineret esse Ecclesia Parochialis, quia ex actu baptizandi non sequitur cura animarum, cum baptismus etiam à muliere & laico conferri possit, *c. ad limina. 30. q. 1. Mascardus de probat. d. conclus. 469. num. 8. & 9. Hoig.*

Hoieda de incompatib. benef. part. 1. cap. 13. num. 8. Flamin. Paris. de resignat. benef. lib. 2. quest. 1. num. 109. Gonzalez. d. gloss. 6. num. 48. Secundo infertur idem dicendum, quoad sepulturam seu actum sepeliendi Hostien. in sum. de sepultur. §. 2. & 3. Hoieda supra num. 9. Mascardus loc. cit. num. 10. Flamin. Paris. ibid. num. 108. Gonzalez supra num. 53. Tertio, idem quoque dicendum, si Ecclesia non percipiat decimas, quia ideò non consequitur, non esse parochialem, nec è contra. Gonzalez ead. gloss. 6. num. 56. Quarto infertur, quod potestas fori contentiosi v. g. quod quis habeat iurisdictionem in spiritualibus in foro exteriori, prout est suspendere, excommunicare, absolvere, visitare, & alia eiusmodi, quæ ad correctionem morum pertinent, non facit propriè beneficium curatum. Innocen. in c. dudum. 54. num. 11. vers. nam modus. ubi Abb. num. 7. de election. sed melius potest dici beneficium curatum, quod habet curam iurisdictionalem etiam fori exterioris, ut in pract. c. dudum. 54. de elect. Mascard. supra. num. 2. Garcias de benef. part. 1. cap. 6. num. 7. Barbosa de off. & potest. Episc. part. 3. alleg. 57. num. 163. Quinto infertur, quod quando Ecclesia Collegiata habet curam animatum, talis cura non pertinet ad singulos canonicos illius, sed ad totum Collegium unicam personam Rectoris representans. Cassador. decis. 11. num. 2. de praben. quales Collegiata teste Chokier ad reg. 8. gloss. 2. num. 7; in Italia & Hispania sunt per plures, quæ reguntur per omnes de collegio hebdomadatim. Sexto infertur, quod beneficium curatum non dicitur, quando non habet curam perpetuam, sed tantum ad certum tempus, Hoieda de incompatib. benef. d. cap. 13. part. 1. num. 52. Gonzalez supra num. 93. Septimo curatum beneficium non dicitur Prioratus per Vicarium perpetuum deserviri solitus: quia solus Vicarius perpetuus habet curam, non etiam Prior, Probus in addit. ad Monach. in c. super eo 6. num. 17. de praben. in 6. Gonzalez pract. gloss. 6. num. 97. Chokier supra num. 9.

§. 4. Prædictis & similibus casibus, quos copiosius explicatos habes apud Mascard. & præcitatos Auctores, beneficia non dicuntur curata; sed in dubio beneficia præsumuntur simplicia.

In aliis autem casibus non censentur beneficia curata.

plia. *Gonzalez gloss. 6. num. 91. Garcias de benef. part. 1. cap. 6 num. 8. Barbosa de off. & potest. Episc. part. 3. alleg. 53. num. 69.*

*Beneficia curata in mensibus Apostolicis Papa sunt reservata*

§. 5. His præmissis, ut ad quæstionem nostram redeamus, certum est, quod beneficia curata in mensibus Apostolicis vacantia, vigore Concordatorum Germaniæ sint summo Pontifici reservata: ita tamen, quod illorum provisio fiat per concursum, non secus atque in provisione Ordinaria, ut disponit Concilium Tridentinum *sess. 24. de reform. cap. 18.* & confirmavit *Pius Papa V.* infrascriptâ Constitutione: ideoque in tali eventu Episcopus Diœcesanus, seu eius Vicarius in spiritualibus, Generalis habitâ notitiâ vacationis, & constituto, in quantum opus, in ea Vicario, cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione, proponit edictum pro concursu, & mittit Romam approbationem factam ab examinatis in synodo deputatis, de magis idoneo & à se electo, atque à sede Apostolica confertur approbato seu electo, ut colligitur ex eadem Constitutione *Pii V.* Atque ita fuit sæpius à S. Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum definitum apud *Flamin. Paris. de resignat. benef. lib. 8. quest. 9. num. 103. Gonzalez ad reg. 8. gloss. 6. num. 103. Piasec. in praxi Episc. part. 2. cap. 5. art. 3. num. 6. vers. beneficiis quoque curatis &c.* & quotidie practicatur.

*Pii Papa 5. Constit. 33. Bullaris tom. 2.*

*In multis casibus solet provideri de beneficiis curatis sine concursu.*

§. 6. Sunt tamen permulti casus, in quibus tam per Papam, quam etiam aliàs solet provideri de Parochialibus absque concursu, prævio duntaxat examine ad curam animarum per Episcopum Diœcesanum, seu eius Vicarium in spiritualibus Generalem in partibus factò, quos obiter recensebo. *Primò*, si approbatus per concursum, & electus ad petendam provisionem Apostolicam nolit consentire pensioni, quæ à Papa super tali Parochiali reservatur, tunc enim omisso examine per concursum, prævio tantum examine simplici, conferri potest. *Secundò* locum non habet concursus in resignatione Parochialis ad manus Papæ in favorem certæ personæ, sufficit enim resignatarium Episcopi seu eius Vicarii in spiritualibus Generalis examine idoneum esse repertum ad curam animarum, & idem

& idem est in permutatione, secus autem in resignatione simplici seu ad manus Papæ, seu Ordinarii Diocesani; nam ibi requiritur concursus juxta Concilium Tridentinum *loc. cit.* & *Pianam* sanctionem. *Tertio* cessat concursus in Parochiali, ob non servatam formam dicti concursus in provisione Ordinarii, ad Papam devoluta: si nimirum ejus collatio ad Episcopum spectet, cui incumbit concursus facere; nam si pertineat ad inferiores, nec per illos steterit, quò minus concursus per Episcopum intra tempus præscriptum factus fuerit, poterunt de ea liberè providere absque concursu, modo tamen conferatur personæ idoneæ & bene meritæ; cum nemo sine culpa sua puniri debeat, *reg. 23 de reg. iur. in 6. l. aliud est fraus. 131. ff. de verb. significat.* quia pœna solum sequitur suos auctores & non innocentes, *c. 2. de his que fi à maior. part. Capit. l. sancimus. 22. C. de pœnis. l. absentem 5. ff. eod. tit.* & sicut lepra sequitur leprosum, sic pœna sequitur auctorem culpæ, & illius personam non egreditur *l. quis ergò. 16. & ibi gloss. ff. de peculio.* Nec culpa solius Episcopi, vel Archiepiscopi nocere debet alteri, vel ejus conditio deterior fieri, ut jure conferendi sibi competenti priveretur *c. denique. 14. q. 5. l. non debet. 74. ff. de reg. iur. l. coheredibus. 17. C. familia erciscunda. Menoch. de arbitrar. casu 182. num. 48. & 49. Gonzalez ad reg. 8. gloss. 6. num. 126. & seq. Garcias de benef. part. 9. cap. 2. §. 1. num. 152.* *Quarto*, quando collatores Ordinarii fuerunt in mora conferendi Parochiales vacantes intra sex menses. *Quinto*, quando approbati per concursus & electi pro obtinenda à Sede Apostolica provisione Parochialium eidem reservatarum, intra quatuor mensium spatium à die notitiæ vacationis, per hujusmodi approbationis transmissionem apud Summum Pontificem non fuere notificati, *Sexto* quando est iuris patronatus laicorum, nam tunc præsentatus à patrono debet simpliciter examinari ab examinadoribus in Synodo Diocesana delectis, & idoneus repertus admitti & institui, ut disponit Concilium Tridentinum *eadem sess. 24. de reform. cap. 18.* & declaravit S. Congregatio eiusdem Concilii interpretum apud *Gonzalez loc. precit. num. 134. Rotain recent. part. 2. decis. 579. num. 4.* quod

intellige, dummodò Parochialis esset iuris patronatus merè  
 laicalis, secus verò, si esset mixti, partim Ecclesiastici, partim  
 Laici, ex declaratione prædictæ S. Congregationis apud *Gon-*  
*zalez supra num. 135.* siquidem eo casu ad effectum concursus  
 istud ius patronatus censetur Ecclesiasticum favore Ecclesia-  
 rum, ut illis meliùs provideatur, *Garcias de benef. part. 9. cap. 2.*  
*§. 2. num. 278. & seq.* & factò coneurfu in hoc casu, dum Pa-  
 rochialis est de jure patronatus mixto, patronus debet ele-  
 ctum præferre, & ab Ordinario institutio fieri. *Gonzalez*  
*suprà num. 136. Garcias. loc. præcit. num. 284.* Si autem Ecclesia  
 vacans in mense Pontificio fuerit patronatus Ecclesiastici,  
 non solùm debet fieri concursus, sed etiam Ordinarius Epil-  
 copus Dioecesanus nullâ habitâ ratione patronorum eligit  
 magis dignum à Summo Pontifice instituendum. *Garcias*  
*suprà num. 272. & seq.* Similiter concursus fieri debet, si pa-  
 tronus laicus præsentaverit plures quàm unum, sicuti ab ea-  
 dem S. Congregatione declaratum refert *Gonzalez. loc. cit.*  
*num. 138.* Septimò concursus omittitur, existente Parochiali-  
 tam tenui, ut nemo velit se subicere concursui. Octavò in  
 subrogatione gratiosa in jus defuncti colligantis. Nonò,  
 dum cura animarum spectat ad Ecclesiam Collegiatam, &  
 cura exerceatur per Canonicos, vel hebdomadarios, aut Ca-  
 pellanos, vel alios Clericos *argum. text. in c. statutum. 32. de e-*  
*lect. in 6.* ex quo nemini prædictorum confertur titulus Pa-  
 rochialis. Decimò, in Vicariis perpetuis, de quibus *infra dub.*  
*sequenti.* Undecimò in Parochiali unita alicui dignitati. De qui-  
 bus latius consule *Gonzalez. locis præcit. Garciam de benef. pars.*  
*9. cap. 2. per tot. & Barbosa de offic. & potest. Episc. part. 3.*  
*alleg. 60. à num. 18.* explicantes Constitutionem

Pii V. Pontificis, quam uberioris  
 cognitionis ergò hîc  
 adjicîo.

PIUS

## PIUS PAPA V.

*De Papa  
5. Confis.  
33. Bulla-  
rii tom. 2.*



**A**D perpetuam rei memoriam. In conferendis <sup>Exordium.</sup> beneficiis Ecclesiasticis, & præsertim Parochialibus Ecclesiis, personis dignis & habilibus, quæ in loco residere, & per seipsos curam exercere valeant, quantam diligentiam adhiberi oporteat, ALEXANDRI III. in Lateranen. & GREGORII X. Lugdunen. Generalibus Conciliis, ac INNOCENTII similiter III. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum editæ Constitutiones testantur.

**N**um. I. Quod ut diligentius ac rectius perficiatur, statuit etiam Synodus Tridentina, ut occurrente vacatione Parochialis Ecclesiæ etiam generaliter, vel specialiter, etiam vigore indulti in favorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, aut aliàs quomodolibet reservatæ, vel affectæ, debeat Episcopus, habitâ notitiâ vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur. Et deinde Episcopus, & qui ius patronatus habet, intra decem dies, aut aliud tempus ab Episcopo præscribendum, aliquos clericos ad regendam Ecclesiam idoneos Examinatoribus iuxta formam eiusdem Synodi deputatis nominet, & non nisi ab eisdem Examinatoribus per concursum aliorum Examinatorû, etiam tamquã magis idoneo ab Episcopo iudicato & electo de Ecclesia provideatur.

M 3.

videatur.

*Cencil.  
Trid. Sess.  
7. cap. 13.  
& Sess. 24.  
cap. 18. de  
reform.  
traditis  
formam  
conferendi  
Parochia-  
les Eccle-  
sias, & in-  
terim eis de  
Vicariis  
providen-  
dis.*



videatur: aliàs provisiones, seu institutiones omnes præter formam prædictam factæ, subreptitiæ censeantur.

*Quidam vero Episcopi de huiusmodi Ecclesiis provide-runt, non servatâ dicti formâ.*

II. Sed quoniam res humanæ semper in deterius prolabuntur, nisi sit, qui eas retineat, ac debitæ executioni demandet: & verendum sit, ne propter Constitutionum huiusmodi transgressionem maximi abusus oriantur: Nos, ad quorum notitiam non sine gravi Nostra molestia pervenit, nonnullos ex venerabilibus Fratribus Nostris Archiepiscopis & Episcopis, occurrente vacatione Parochialium Ecclesiarum, eas nullo, aut minùs ritè servato examine, præsertim illo, quod per concursum fieri debet ex Concilio Tridentino, vel etiam examine ritè servato, personis minùs dignis, carnalitatis aut alium humanæ passionis affectum, non rationis iudicium sequentes contulisse, & de eis providisse, volentes quantum cum Deo possumus huiusmodi ac etiam futuris periculis occurrere,

*Idèd hic Pontifex collationes factas, & quæ fiunt deinceps contra dictam formam, annullat, & beneficia vacare decernit. Sed Apostolica eadem reservans.*

III. Eorundem Prædecessorum Nostrorum Constitutiones præfatas etiam innovando, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium omnes & singulas collationes, provisiones, institutiones, & qualvis dispositiones Parochialium Ecclesiarum ab eisdem Episcopis & Archiepiscopis, ac quibusvis aliis collatoribus tam ordinariis, quàm delegatis, etiam S. R. E. Cardinalibus, ac Sedis Apostolicæ Legatis, vel Nunciis, præter & contra formam ab eodem Concilio Tridentino, præsertim in examine per concursum faciendo præscriptam, factas aut in futurum faciendas, nullas, irritas, ac nullius roboris vel momenti fore & esse, nullumq; provisus ius, aut titulum etiam coloratum possidendi

dendi præbere, & Parochiales Ecclesias huiusmodi, ut priùs ante collationes huiusmodi vacabant, ex nunc vacare statuimus, decernimus & declaramus, easq; omnes pro tempore sic vacantes Nostræ & sedis Apostolicæ, seu eorum quibus jus conferendi eas, præterquàm Episcopis, & Archiepiscopis, qui curam dicti examinis iuxta decretum Concilii habere debent, competet, dispositioni reservamus.

IV. Insuper ne parochiales Ecclesiæ diu in suspenso maneat, in maximum animarum periculum; quarumcumque parochialium Ecclesiarum, quarum dum pro tempore vacant, ad Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & Patriarchas, & quosvis alios Ordinarios collatores, in mensibus Ordinariis collatoribus etiam per Nostras regulas assignatis, provisio & collatio spectat & pertinet, de quibus iisdem Episcopi, & Ordinarii prædicti intra sex mensium spatium à die vacationis earundam perfecto examine iuxta formam Concilii Tridentini præfati non providerint: ac illarum etiam, quarum collationes Nobis & dictæ Sedi generaliter vel specialiter, & ex quavis causa reservatæ, seu affectæ existunt, aut aliis ex indulto Sedis Apostolicæ competunt: ad quas, occurrente illarum vacatione, Episcopi, & Archiepiscopi præfati personas per examen, concursu mutuo habito, iuxta dicti Concilii Tridentini formam approbatas, & magis idoneas non elegerint, aut electas Nobis vel successoribus Nostris, aut iis ad quos collatio spectabit, pro collatione obtinenda intra quatuor mensium spatium à die illius vacationis non significaverint; nec non parochialium Ecclesiarum similium, quæ:

*Prout & illas, quæ non fiunt tempore præfixo.*

quæ Iurispatronatus Ecclesiastici, vel aliorum seu clericorum & laicorum simul fuerint, si præsentatus intra tempus eisdem patronis à iure præfixum prævio examine iuxta formam dicti Concilii approbatus petatur institui, institutioq; ipsa per duos menses à die præsentationis dilata fuerit, collationem, provisionem, institutionem, omnimodam dispositionem Nobis, & ipsi sedi, ac personis indulti huiusmodi conferendi, providendi seu instituendi obtinentibus respectivè reservamus: datâ tamen in parochialibus iurispatronatus optione ipsis patronis, ut si institutio ad Ordinarios spectabit, ipsis Ordinariis illam facere negligentibus, & ultra dictos duos menses differentibus, possint pro huiusmodi institutione obtinenda habere recursum ad Metropolitanum, vel viciniorum Ordinarium, aut ad sedem Apostolicam,

*Terminus  
Concilii  
non prorogatur.*

V. Prohibentes etiam eisdem Ordinariis, ne tempus decem dierum eisdem Ordinariis & patronis ab eodem Concilio Tridentino ad nominandum idoneos clericos coram deputatis examinatorebus præfixum, ultra alios decem dies prorogare audeant, vel præsumant.

*Beneficia  
sic reservata  
Ordinariis non  
conferant.*

VI. Districtius inhibentes ne quis præter Romanos Pontifices, aut alios indulta huiusmodi obtinentes, ut præfertur, quâcumque sit super hoc auctoritate munitus, de huiusmodi beneficiis sic reservatis, ut præfertur, disponere, vel circa illa, etiam per viam permutationis, vel aliâs innovare quoquo modo præsumat.

*Collatio  
prædicta.*

VII. Ut autem non solum dignis, sed magis idoneis  
reper-

reperitis iuxta eiusdem Concilii decretum parochiales Ec-  
 clesiæ conferantur, volumus, & eadem auctoritate decer-  
 nimus, quod si Episcopus minùs habilem, posthabitis ma-  
 gis idoneis, elegerit, possint ii, qui reiecti fuerint, à ma-  
 la electione huiusmodi ad Metropolitanum, vel si ipse  
 eligens Metropolitanus, aut exemptus fuerit, ad vici-  
 niorem Ordinarium, uti Nostrum & Sedis huiusmodi  
 delegatum, aut aliàs ad ipsam Sedem Apostolicam appe-  
 llare, ac præelectum ad novum examen coram ipso apo-  
 pellationis Iudice, & eius examinadoribus provocare; &  
 constitò de prioris eligentis irrationabili iudicio, eoq; re-  
 vocato, parochialis magis idoneo per eundem Iudicem  
 appellationis auctoritate Nostrâ (quatenus collatio ad Epi-  
 scopum, à quo appellatum fuit, spectaret) conferatur; ali-  
 às eidem magis idoneo per Iudicem appellationis appro-  
 bato conferenda remittatur ad eum, ad quem collatio,  
 provisio, vel institutio spectabit.

*rum fiat  
 idoneis, &  
 gravati  
 appellent.*

VIII. Hæc tamen appellatio interposita interim non  
 impediat, aut suspendat, quò minùs electio per Ordina-  
 rium primo loco facta interim debitæ demandetur execu-  
 tioni, & provisos ab eadem Ecclesia, causâ appellationis  
 huiusmodi dependente, non amoveatur.

*Appella-  
 tio autem  
 non sus-  
 penderit exe-  
 cutionem  
 electionis.*

IX. Et si quis à sententia per Iudicem appellationis  
 lata duxerit appellandum, is tunc ad Sedem ipsam Apo-  
 stolicam appellabit, si secus in præmissis omnibus & sine  
 gulis actum, aut attentatum fuerit, irritum decerni-  
 mus & inane.

*Et à Iudice  
 ce Appella-  
 tionis ad  
 Sedem A-  
 postolicam  
 appellabi-  
 tur.*

X. Volumus autem, quòd præsentium transsum-

*Transsum-  
 ptorum fi-  
 des.*

N

ptis manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

*Forma & effectus publicati-  
onis.*

XI. Quodq; literæ ipsæ Camera & Cancellariæ Apostolicarum & Audientiæ causarum Palatii Apostolici vallis, & in acie Campi Flori, dimissis inibi copiis, publicatæ & affixæ, omnes ita afficiant & arctent, ac si illis personaliter intimatæ fuissent. Nulli ergò omninò hominum &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, decimo quinto Kal, Aprilis, Pontificatus Nostri anno secundo.

*Extra casus prædictos necessarii con-  
suetudo in  
Concilio  
Tridentino  
prescri-  
ptam.*

§. 7. Igitur extra casus suprâ expressos, in provisione Parochialium Vacantium observanda est forma à Concilio Tridentino *sess. 24. de reform. cap. 18.* & prædicta *Piana* Constitutione præscripta, ut nimirum Episcopus loci, seu eius in spiritualibus Vicarius Generalis, statim habitâ notitiâ vacationis Parochialis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium instituat, cum congruæ portionis assignatione; dein ipse, & patronus, si iuris patronatus sit Ecclesiastici, intra decem dies, quos ultra alios decem prorogare non licet, coram examinato-  
ribus in synodo deputatis nominet aliquot Clericos ad regendam eam Ecclesiam idoneos, vel si Episcopo ita videatur, poterit per Edictum publicum convocare omnes, qui se voluerint offerre; imò & quisvis alius, si quos novit dignos, suggerere; & hi omnes sunt annotandi, ac transacto tempore, si comparuerint, ab eodem Episcopo, seu eius Vicario in spiritualibus Generali, & Examinatoribus synodalibus non paucioribus, quàm  
tribus

tribus examinandi; atque ex illis, quos examinatores iudicaverint & renuntiaverint aptos ætate, moribus, prudentia, & aliis dotibus ad vacantem Ecclesiam regendam requisitis, Episcopus magis idoneum deligat, & huic, non alteri collatio fiat ab eo, cuius est conferre; si tamen institutio ad Episcopum pertineat, tum patronus Ecclesiasticus debet digniorem eligere ab Episcopo instituendum: alioqui si ad alium spectet, Episcopus solus eliget magis idoneum suo iudicio, & patronus hunc præsentabit ei, ad quem pertinet institutio: ut si institutor, vel collator sit Decanus, Capitulum, vel alius inferior: Episcopi enim est, non solum convocare, & habere ius examinandi cum aliis examinadoribus, sed etiam eligere digniorem, qui à patrono præsentetur instituendus. *Lessius de iust. & iure. lib. 2. cap. 34. dubit. 16. num. 80. Zypæus in analyt. iur. Pontif. nov. lib. 1. tit. de elect. num. 15.* Si autem ius patronatus est Laici, non est necesse, ut fiat examen per concursum, ut supra dictum. Præter antedictam autem formam, omnis collatio, seu institutio in beneficiis curatis censetur subreptitia & nulla, ac nullius roboris & momenti, nullumq; proviso ius, aut titulum etiam coloratum possidendi præbet, & ipso facto, si pertinebat ad Episcopum, devolvitur ad Sedem Apostolicam ex *Tridentina & Piana* Sanctione, non obstantibus quibuscumque exemptionibus, indultis, privilegiis, etiam universitatibus concessis, consuetudinibus, præventionibus, affectionibus & aliis quibuscumque. *Lessius loco præcit. num. 81. Garcias de benef. part. 9. cap. 2. num. 2.*

N 2

DV BI-